

qua provocat ad duellum, et quidquid sit de ista doctrina Cajetani illud tamen tertium dictum Bagnez est falsum.

IX. Sed quæres, an in præfato casu accusatus supposito quod per vim non potest se defendere a calumniatore, possit saltem se defendere licite per calumniam. Ad hoc dico, nullo modo licere se defendere per calumniam illatam calumniatori, quia hoc medium est intrinsece malum, nec honestari potest ex hoc quod ad bonum finem ordinetur, sed medium est ut diximus se defendere secundum ordinem juris. Ad rationem dubitandi factam a principio constat ex dictis præsertim in secunda conclusione.

#### ARTICULUS VIII.

*An percussus ab aliquo, sive pugno, sive alapa possit in defensionem honoris, ipsum repercutere?*

I. Videtur quod sic. Nam talis repercussio est defensio honoris, maxime quando alia via honor recuperari non potest: ergo licita est talis repercussio facta in defensionem honoris. Et si respondeat esse illicitum, quia percutiens cessavit jam ab aggressionem, contra, nam licitum est latronem, qui furatus est bona alicujus persequi, et illa bona per vim eripere ex manibus latronis, qui jam cessaverat a furto; ergo etiam postquam quis percussus est alapa, vel pugno licitum erit ad recuperandum honorem repercutere percussorem. Probatur consequentia, quia sicut latro detinet bona temporalia injuste, ita percussor bonum honoris.

II. Pro hujus resolutione notandum est posse tripliciter contingere ut quis repercutiat suum percus-

sorem in defensionem honoris, primo modo quando postquam semel percussus est adhuc percussor perseverat intendens iterum repercutere, et tunc in ipsa actuali pugna semel percussus repercutit suum percussorem: secundo modo, quando quis semel percussus est taliter, quod percussor non intendit iterum repercutere; percussus tamen in ipso fervore pugnae repercutit percussorem adhuc non intendentem iterum repercutere: tertio modo, quando percussor postquam semel percussus separat se a percussione, imo fugit, et tunc percussus insequitur percussorem, et ipsum repercutit.

III. Dico primo: Licitum est percusso et aggresso primo modo repercutere suum percussorem, non quidem in vindictam prioris repercussionis antecedentis, sed in defensionem subsequentis. Probatur, quia illa repercussio non fit titulo defendendi se a percussione jam facta, sed a percussione iterum faciendâ, a qua cuicumque licet se defendere. Et si objicias, quoniam illa repercussio non est medium per se ordinatum ad propriam defensionem percussionis subsequentis; ergo non est licita; probatur antecedens, quoniam immediatus, et per se effectus illius repercussionis non est fuga aggressoris, sed nocumentum quod infertur aggressori per repercussionem, ergo talis repercussio non est medium per se ordinatum ad propriam defensionem, videlicet ad fugam aggressoris, cujus nocumentum debet sequi per accidens ex malitia illius qui vult fugere.

IV. Respondetur tamen, quod etiam illius repercussionis immediatus, et proximus effectus intentus est fuga aggressoris, ne postquam percussus semel, percutiat iterum: nam sicut exercitium armorum immediate or-

dinatur ad fugam aggressoris, et per accidens sequitur ejus nocumentum postquam fugere non vult, ita similiter ut quis se defendat a percussione, quæ manibus fit medium per se ordinatum est exercitium manuum consimile exercitio offensivo aggressoris, et ita exercitium illud manuum aggressi per se ordinatur ad fugam aggressoris, ut videlicet aggressor fugiat manum aggressi percutientis, quod si non vult fugere sequitur per accidens ejus nocumentum, et ex culpa sua.

V. Dico secundo: Nullo modo licitum est tertio modo repercutere percussorem, et hoc adeo certum est, ut oppositum asserere sit plusquam falsum. Probatur conclusio, quoniam jam percussus passus est detrimentum in suo honore, nec percussor intendit iterum percutere, sed potius fugit, ergo talis repercussio nullam potest habere rationem defensionis, sed vindictæ. Probatur consequentia, quoniam non est defensio respectu offensionis jam factæ, quia illa jam præterit, nec respectu futuræ percussionis, quia percussor fugiens nullo modo intendit jam percutere. Confirmatur, quia talis repercussio solum posset ordinari ad recuperationem honoris amissi, non autem ad defensionem, sed ad recuperandum honorem amissum non est licitum uti medio intrinsece malo quale est illa repercussio, quia cum illa non habeat modum defensionis fit ut immediate, et per se ordinetur ad nocumentum inferendum proximo, ergo est intrinsece mala.

VI. Dico tertio: Repercussio illo secundo modo facta non est licita, et oppositum hujus non est censendum omnino improbabile. Ista conclusio est contra aliquos, quos refert magister Bagnez, qui contendebant percussorem isto modo factam esse licitam, quia cum repercussio illa

fiat in ipso fervore pugnae, et proxime ad percussorem factam ab aggressore, ideo videtur habere rationem defensionis, sed tamen probatur nostra conclusio eisdem rationibus, quibus præcedens probata fuit. Nam repercussio illa non habet magis rationem defensionis respectu percussionis factæ, quam si prorsus fugeret percussor, nec etiam habet rationem defensionis respectu percussionis futuræ, quia illa jam a percusso non timetur, ergo non magis licita est repercussio secundo modo facta, quam tertio modo. Verum est tamen quod si quis percussus repercuteret hoc secundo modo posset aliquando excusari a peccato ex ignorantia invincibili, si non satis ei constaret, an percussor desistat a percussione; an vero velit iterum percutere, sed iste casus est per accidens ad nostram conclusionem quæ procedit absolute, et non supposita ignorantia, quæ nullo modo tollit quin in illa repercussio sit illicita ex sua specie.

VII. Ad rationem dubitandi positam a principio respondetur, quod repercussio illa quando aggressor, vel fugit, vel separat se, et cessat a percussione, non est medium per se ordinatum ad defensionem honoris amissi, imo nullo modo est medium, quia respectu honoris amissi, non habet rationem defensionis, si quidem defensio est respectu ejus, quod nondum ablatum est. Nec etiam potest ordinari in defensionem honoris amittendi, quia jam aggressor separat se a percussione.

VIII. Ad replicam ibidem factam, quæ difficilis est respondetur, quod dupliciter potest dominus rei ablatæ persequi latronem, et ex ipsius manibus per vim rem suam eripere. Primo modo, ut persequatur latronem actu fugientem cum re ablatâ antequam latro se et rem ablatam constituat in loco tuto: secundo

modo potest ipsum persequi postquam rem ablatam et se constituit in loco tuto. Et quidem primo modo licite potest persequi latronem, et per vim e manibus ejus eripere rem suam. Et tunc respondetur assignando differentiam, quoniam si latro etiamsi actu fugiat defert tamen secum rem alienam, quæ est veri domini, et sic dominus potest illam utpote suam antequam in loco tuto constituatur, eripere per vim e manibus latronis, quoniam adhuc latro est aggressor. Cæterum qui semel læsit honorem proximi per percussionem, si fugiat, aut cesset a percussione non defert secum honorem proximi ablatum, et sic statim quod separat se a percussione totaliter desinit esse aggressor. Unde si repercutiatur, illa repercussio non habet rationem defensionis contra aggressorem, sed potius rationem reaggessionis, seu recuperationis honoris per vindictam, et ideo est intrinsecè malum. Eripere autem a latrone rem isto primo modo non habet rationem recuperationis rei proprie loquendo, sed habet rationem defensionis rei ab aggressore latrone. Circa secundum modum quod dominus rei persequatur latronem dicendum est illo modo non licere illum persequi, de quo disputabimus in dubio sequenti.

## ARTICULUS IX.

*An quando quis potest secundum ordinem juris recuperare bona sua temporalia injuste ablata a latrone, possit tamen tunc in defensionem illorum occidere latronem?*

1. Ista difficultas potest duplici sensu procedere. Primo, a parte ante, videlicet antequam bona aliquo modo auferantur de facto, ita quod in defensionem illorum, ut

nullo modo auferantur ab ipso domino, possit dominus latronem occidere: secundo modo a parte post, videlicet, postquam jam cœpit latro illa auferre fugiens cum illis, vel illa in loco tuto constituens.

II. Circa primum sensum aliqui auctores, quos suppresso nomine refert Aragon existimant quod tunc non est licitum in defensionem bonorum occidere aggressorem, si potest dominus illa bona secundum ordinem juris recuperare. Et probant, quia si quis possit propriæ vitæ suæ prospicere sine occisione aggressoris non potest tunc illum occidere in defensionem vitæ, neque servaretur moderamen inculpatæ tutelæ, sed in casu dubii potest quis simul et prospicere bonis propriis, et vitæ aggressoris: ergo nullatenus potest tunc in defensionem bonorum occidere aggressorem. Alii vero auctores oppositum videntur communiter sentire, dum absolute, et sine distinctione aliqua dicunt licitum esse in defensionem bonorum temporalium occidere aggressorem auferentem actu illa bona, vel intentantem auferre. Et probant, quia nullum superest medium aliud ad defendendum bona sua, quia nullus tenetur permittere, ut illa auferantur de facto, ut postea amissa recuperentur secundum ordinem juris, quia iste modus recuperandi non est medium nisi multum per accidens.

III. Pro hujus resolutione supponendum est quod dupliciter potest quis via juridica recuperare bona amissa. Primo, ita ut sit moraliter certus, quod etiamsi bona sua de facto auferantur a latrone, adhuc via juridica recuperabit illa: secundo modo, ita ut non sit certus moraliter, existimet tamen probabiliter quod poterit via juridica bona sua recuperare, etiamsi pro tunc auferantur.

IV. Dico igitur primo: Si quis sit certus moraliter quod bona sua recuperabit via juridica, non poterit latronem occidere in defensionem illorum. Probatur ista conclusio ratione satis efficaci facta pro prima sententia. Et confirmatur ex supra dictis sæpe. Nam bona temporalia parvi momenti non potest quis defendere cum gravissimo nocumento vitæ, eo quod tunc tenetur magis prospicere vitæ latronis, quæ maximi momenti est, quam levissimo suo nocumento in rebus temporalibus: sed in præsentī casu dominus rei, quæ aufertur, quamvis illa sit magni momenti, ipse tamen patitur levissimum nocumentum in bonis suis, si quidem certus est quod facile via juridica recuperabit illa, ergo tenetur potius pati hoc levissimum nocumentum, et non inferre gravissimum nocumentum vitæ proximi.

V. Dico secundo: Si solum probabiliter existimat iste quod bona sua poterit via juridica recuperare poterit in defensionem illorum occidere latronem. Probatur conclusio, quia tunc non superest aliud medium ad defendendum bona sua nisi actus ex quo sequitur occisio per accidens, ergo poterit tunc licite uti illo medio in defensionem bonorum. Probatur antecedens, quia medium solum probabiliter existimatum tale non potest censerī medium necessarium, et efficax ad defensionem bonorum; ergo solum superest tamquam medium necessarium actus defensionis, ex quo sequitur occisio per accidens. Confirmatur, quoniam si solum probabiliter existimat quod bona sua poterit recuperare postea, si modo non defendat illa, exponit se maximo dispendio bonorum suorum, et maximo periculo amittendi illa, hoc autem censerī debet magnum nocumentum, et res magni

momenti; ergo ut hoc possit vitari poterit uti illo medio in defensionem bonorum, etiamsi sequatur ex illo mors latronis.

VI. Circa secundum vero sensum hujus difficultatis duo supponenda sunt tamquam certa, alterum autem potest difficultatem habere. Primo, supponendum est tamquam certum quod tunc dominus rei potest insequi latronem actu fugientem, et per vim eripere res suas e manibus ejus, dum tamen lethale vulnus, aut mortem latroni non inferat. Et ratio hujus est, quia quamvis latro actu fugiat, adhuc tamen perseverat in actuali, et injusta ablatione rei alienæ; ergo dominus rei jus habet ad illam defendendam, et eripiendam e manibus ejus, saltem quando vulnus aliquod ei non inferat. Secundo, supponendum est tamquam certum, quod postquam latro se, et rem injuste ablatam in loco tuto constituit, tunc dominus rei non potest illa contra voluntatem ipsius latronis auferre. Quæ doctrina est manifeste D. Thomæ infra quæstione sexagesima sexta, articulo tertio ad tertium. Et ratio hujus est, quia quamvis res illa injuste detenta a latrone sit veri domini absolute, nihilominus est etiam ipsius latronis secundum quid, scilicet, quantum ad detentionem, quod est dicere, quod postquam res injuste ablata est adhuc ipse latro habet jus ut ab ipso per vim non auferatur etiam a vero domino, sed latro habet jus ad restituendum ipsam voluntarie, et solum potest auferri ab eo per vim via juridica. Nam tunc, quia injusta ablatio rei fuit transacta, et damnum jam fuit illatum proximo, ideo non potest ipse proximus, et dominus rei privata auctoritate recuperare sibi damnum illatum a latrone, sed hoc pertinet ad publicam potestatem, quæ superior est respectu utriusque.

VII. Sed adhuc contra istam doctrinam certam potest esse objectio. Nam si dominus rei per vim velit rem injuste ablatam recuperare, si latro etiam per vim defendat illam peccat contra justitiam, si quidem non defendit rem suam, sed potius alienam, et facit injuriam vero domino defendendo illam, si quidem talis defensio, est continuatio ablationis rei alienæ; ergo dominus ei juste infert vim ad illam recuperandam a latrone. Ad hanc objectionem respondet in præsentis magister Bagnez, quod injuste facit in isto casu, nec est conveniens dari bellum injustum ex utraque parte, maxime cum in præsentis casu bellum utriusque sit injustum secundum diversas rationes. Nam ex parte latronis est injustum contra justitiam commutativam, ex parte vero domini rei est injustum contra justitiam legalem.

VIII. Hæc tamen solutio non videtur undequaue vera. Et quidem quod possit dari bellum injustum ex utraque parte certum est, quamvis non possit dari in rei voluntate bellum justum ex utraque parte, nisi supposita ignorantia invincibili alterius, vel utriusque partis. Nihilominus tamen injustum bellum dari potest ex utraque parte, ut si duo contendat pro eadem re ad quam nullus eorum habet jus. Cæterum quantum ad hoc quod in præsentis casu detur bellum injustum ex utraque parte non apparet solutio illa vera. Nam quamvis latro defendat rem alienam potest tamen licite defendere illam, non quatenus alienam, sed quatenus defendit jus quod ipse habet; imo vero hoc solum jus defendit ut ab ipso videlicet res per vim non auferatur, nisi solum via juridica. Unde ex parte illius bellum est justum secundum istam considerationem, quamvis alias per accidens possit esse injustum, si la-

tro intendat defendere rem alienam ut alienam, et ut illam sibi retineat. At ex parte domini rei vim inferentis est injustum bellum non solum contra justitiam legalem per usurpationem juridicæ potestatis, (ut ait Bagnez) sed etiam contra justitiam commutativam, videlicet contra jus quod latro habet ne per vim ab ipso auferatur res, nisi via juridica.

IX. Sed quæris, an latro in defensionem sui juris postquam juste defendit rem ne per vim a domino ipsius eripatur ab illo, possit tunc in talem justam defensionem occidere dominum rei inferentis vim latronis, respondetur negative. Et ratio est, quia jus quod ipse defendit est minimi momenti per comparisonem ad vitam alterius, maxime cum dominus rei habeat simpliciter jus ad illam, quamvis non habeat jus ad illam sic eripiendam per vim. Et insuper jus quod habet latro est secundum quid, ut solum videlicet non eripatur ab ipso per vim simpliciter, tamen non habet jus ad rem illam detinendam.

X. Id igitur quod in hac parte difficultatem potest habere est, an quando dominus rei insequitur latronem actu fugientem, neque certus est quod sibi supersit alia via ad rem suam recuperandam, etiam in via juridica, utrum tunc possit in defensionem rei suæ latronem occidere actu fugientem. Et ratio dubitandi est a parte negativa, quia tunc latro quamvis sit in actuali ablatione rei alienæ, non tamen est actu inferens vim domino rei, si quidem fugit; ergo non videtur esse medium proportionatum ex parte domini rei inferre latroni talem vim, quod ex illa sequatur ejus mors. Probatur consequentia, quia quamvis liceat vim repellere vi, tamen in præsentis ex parte latronis non est vim.

XI. Dico tamen tertio: Licitum est in hoc casu occidere latronem. Probatur conclusio, quoniam latro tunc sicut est in actuali ablatione rei quamdiu fugit, sic etiam perseverat in actuali vim quam infert domino rei, si quidem talis injusta ablatio rei non fit sine vi. Verum est tamen quod talis ablatio rei non fit per vim quæ ordinetur ad occisionem domini rei, fit tamen per vim quæ ordinatur ad injustam ablationem prolongandam, et ita quam-

vis domino rei ad repellendam vim sibi illatam in propria persona non supersit locus, ad repellendam tamen vim sibi illatam in re magni momenti licitum est inferre quamcumque vim, etiam si ex illa sequatur occisio invasoris, quando non superest aliud medium. Et per hoc patet ad rationem dubitandi modo factam. Et ex dictis in hoc dubio constat solutio ad argumenta facta pro utraque sententia a principio posita.